



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus X. Matres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

gati sunt; hebetata est acies gladii. Videbam fessos carnifices residere, vires resumere, mutare gladios, diem quoque non sufficere ad poenam. Nullus tamen ex omnibus, nè parvulus quidem infans, deterteri potuit à morte. Nicephorus l. 7. c. 8.

Miscellanea.

Stabant autem omnes noti ejus &c. Luc. 23. 49. Nota, quòd nullus eorum, qui juxta crucem steterunt, martyriò obiit. aded enim

vehemens fuit ille crucis gladius; ut illis fuerit pro martyrio. Stella hic.

Christus à S. Gregorio Naz. or. 18. vocatur primus Martyr. à S. Augustino f. 2. de S. Stephano, caput Martyrum.

Sunt Dei Martyres, nostri præfules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. S. Ambros. lib. de Viduis.

Martyria voluntaria. Vide Paupertas. Virginitas. Patientia.

TITULUS X. MATRES.

§. I.

Matrum amor in filios.

Tradiatque puerum (Agari) & dimisit eam. Gen. 21. 14. In exteras regiones proficisci Ismaëlem sinit Abraham. Proh! dura viscera patris! tenellum sic expedit. Quid si fera irruant in eum? Non timet pater filio, quem tradidit matri suæ Agar. Alvarez Illust. 13.

Dixit Esau in corde suo: venient dies luctus patris mei. Gen. 27. 42. mox: *nuntiata sunt hæc Rebecca.* Si in corde tantum locutus est Esau, quomodo Rebecca illius audivit vocem? aded vigiles sunt matres erga filios; ut vel inimicorum pectora rimentur, & occultè meditata damna prævideant, ut præsaveant. Vide plura de ejus amore in Jacob. v. 13. Id. ib.

Divisitque filios Lia, & Rachel &c. Gen. 33. 1. Familiam suam ita ordinavit Jacob, ut filii matribus adhererent. Sed cur suo lateri non jungit? Respondet Oleaster: quia matres illos melius custodirent, & pro eis fratrem deprecarentur. Maternus amor in filios primas obtinet, vigilantiorque paternò est. Id. ib.

§. II.

Machabææ & aliarum.

Contigit autem & septem fratres unà cum matre suâ apprehensos. 2. Machab. 7. 1. &c. Mater illa gravius in suppliciis filiorum puniebatur, quam si ipsa pateretur: & major erat passio in visceribus matris, quam in corporibus filiorum. S. Chrysof. hom. de Nativitate septem Machabæor. Videre erat ignem triplicem: quem ille tyrannus accendebat; quem excitabat natura; quem Spiritus S. inflammabat. Non ita illi jacentes in igne urebantur, atque hæc ob amorem liberorum urebatur. Sed ob pietatem vincebat; & natura cum gratia pugnabat; & victoriam gratia reportabat. Religio maternum affectum superabat; & ignis ignem vincebat; spiritualis naturalem; & quem crudelitas tyranni accenderat.

S. Chrysof. tom. 6. Laudatio SS. Machabæor. Non immeritò præsumitur ista mater beatissima Ecclesiæ Sanctæ imaginem præmonstrasse; quæ filios Deo spirituales parere consuevit; nihil de carne, & sanguine, cogitantes. S. Gaudentius tr. de Machabæis.

Discurrebat latior inter confossa cadavera, quam inter cunabula chara filiorum: quia inter nis oculis totcernebat bravia, quot vulnera; quot tormenta, tot præmia; quot victimas, tot coronas. Et quid plura fratres? non est vera mater, quæ nescit filios sic amare. S. Chrysologus f. 134. de S. Felicitate M.

Et misisti manum tuam ex alto; & de hac profunda caligine eruisi animam meam; cum pro me ploraret ad te mea mater, fidelis tua, amplius, quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide, & spiritu, quem exte habebat; & exaudivit eam Domine. S. August. Conf. l. 3. c. 11.

Miscellanea.

Isaac non duxit uxorem vivente matre; nè uxoris dilectio dilectionem matris superaret. V. Beda in c. 2. Ex.

Si impium est, contemnere matrem; contemnere tamen propter Christum, piissimum est S. Bernardus ep. 104.

Videte fratres, nè degeneretis; nobilis est mater, quæ vos genuit; generosa sunt ubera, quibus lactati estis. Guarrius f. 2. in Natali SS. Petri & Pauli.

Juvenis quidam matrem suam truserat pede. Tactus poenitudine, contulit se ad S. Antonium de Padua, ut expiaret noxam: qui, ut in ejus anima vivaciùs imprimeret horrorem peccati, inter alia dixit: fili mi, pes ille, qui instrumenti loco tuæ servivit malitiæ, ad patrândum tantum scelus, abscissionem à reliquo corpore mereretur. Juvenis id aded cordi accepit, ut reversus ad matrem pedem illum absciderit; quem tamen per ejusdem Sancti benedictionem recepit. S. Franciscus Sales. de amore Dei l. 8. c. 12. Hoc exemplum aliàs est de S. Petro M. Ord. Prædic. in ejus vita 29. April. apud Bollandum p. 694. col. 2.